

a 56500
(8)

a 56500

a. obsco.

A 56500(8)

83
00

T 12 087 128

12

11 1. JUNI 1980

05R06

02. APR. 1981

18B-3

12

a. obs

A

ACADEMIAE LUDOVICIANAE
RECTOR
SOLENNIA
NOVI RECTORIS
INAUGURANDI

A. D. XXIX. SEPT. MDCCCXVIII

INDICIT

PRAEMITTITUR.

PROFESSORUM THEOL. GIESSENS. SERIES.

aut.

Ern. Lud. Wilh. Nebel.

GR. HESS. UNIV.
BIBLIOTHEK

GIESSAE
TYPIS SCHROEDERI ACADEMICIS.

a. 56

A

821 780 128

Univ.-Bibl.
Giessen

Philippus Magnanimus, academiae Marburgensis conditor, fidem confessioni Augustanae atque formulae concordiae consentaneam fovit eamque filios fovere iussit a). Ludovicus IV. Landgr. Marburgensis, severioribus Lutheri aedibus amicus b), ipse prudenti moderatione atque fratris Wilhelmi IV. Sapientis hortatu, contra aliter sentientes, cryptocalvinistas vocabant, violenti consilio procedere abstinuit. In testamento vero haeredibus praescripsit, ut Augustanam confessionem atque formulam concordiae incorruptas servarent et praecones in officiis et dogmatibus retinerent c). Sed Mauritius, L. Cassellanus, Calvini placitis favens haec apud Marburgenses doceri iussit. Sequuta civium seditio d), quae vi coercebatur, atque theologorum, quicumque novae doctrinae subscribere detrectabant, exauctoratio. Ludovicus V. fidelis dictus, qui alter haeres territorium Giessense nactus erat, professores ex academia Marburgensi pulsos excepit: ex his theologi erant *Winckelmann*, *Mentzer*, *Leuchter* atque *Dietericus*. Consilium inde enatum alteram literariam universitatem Hassorum Giessae condendi, Gymnasii illustris inaugu-

a) *Schmincke* monim. Hafs. IV. p. 587.

b) *Strieder* in vita Aeg. Hunnii, Hefs. Gelehrtengeſch. VI. p. 245. Cel. *Rommel* kurze Geſchichte der Hefs. Kirchenverbesserung. 1817. p. 33.

c) *Teuthorn* Geſch. der Hefs. IX. p. 446.

d) *Garth* Bericht vom Religionswesen in Helsen. p. 295. *Leuchter* antiqua Helsingum fides p. 305. *Venerab. Iusti* die Feyer des dritten Reformationstages p. 13. Praesertim vita Greg. Schönfeld in *Schlegel* Lebensbeschreibung der Dresd. Superintendenten, Laurent. p. 23.

inauguratio facta d. 10. Oct. 1605 atque, accedentibus privilegiis Caesareis, academiae exordium d. 8. Oct. 1607 e).

I. Primus in schola recens condita theologiae professor constituebatur *Io. Winckelmann*, qui eundem locum Marburgi tenuerat. Natus Hombergae Hassorum a. 1551 suasu Iusti Vietoris, pastoris Alsfeldiensis, fabri ferrarii officinam reliquit et literis in academia Marburgensi sedulo sed dedit. A. 1573 scholae rectoris munus in patria suscepit, 1576 Marburgum vocatus indeque Basileam missus est, ubi theologiae studio summo fervore denuo incubuit atque doctoris honores 1581 acquisivit. A. 1582 Cassellis concionatoris aulici munia obiit. Marburgi cathedra theologica, quae ex discessu Aeg. Hunnii vacabat, ipsi adsignata est 1592. Giessae, ut supra diximus, primi theologi munus obtinuit primusque rector magnificus constitutus est. Studiosos 300 et quod excurrit usque ad a. 1606 finem civitate donavit. Ter denuo succedente tempore hoc munus obiit. Accessit a. 1610 superintendentis atque pastoris officium morte Ierem. Vietoris vacuum. Quod cum multas curas exigeret, a docendo liberationem obtinuit, disputando vero et concionando prodesse sedulus perrexit. Marburgum cum academia transferretur, quia ex arbitrio Caesaris terra Marburgensis stirpi Darmstadinae cesserat, hic quoque theologi primi vices ipsi adsignabantur. Sed vegetus fenex mox vires vacillantes sensit, Giessae remansit atque d. 13 Aug. 1626 placide obdormivit. f)

II. Bal-

e) *Winckelmann* fil. Beschreibung von Helsen p. 446.

f) Vita descripta in Hist. der Gelahrtheit der Helsen 1725 sect. II. p. 181.

De vita et scriptis theologorum Giess. egere *Tilemann dict. Schenck*, vitae professorum theol. Marburg. 1727. Hessisches Hebopfer

2.
II. *Balthasar Mentzer*, natus Allendorffii ad salinas 27 Febr. 1565, iam 1583 studio strenuo magistri honores sibi acquisiverat. A. 1589 ecclesiae Kirtorfensi praeponeretur. A. 1596 post fata Dan. Arcularii theol. professio vacans ipsi demandabatur, auctore potissimum Winckelmanno. A. 1605, ut iam expositum est, in schola Giefsensi theologi secundi locum obtinebat. A. 1625 Marburgum reversus mortem invenit 6 Ian. 1627. Vir comis et facundia pol- lens, a civibus maxime aestimatus, ab exteris quaesitus, sed haereticorum et quidquid illos oluit malleus, indeque scriptorum eristicorum feracissimus. Orta 1616 lis *Mentzeri* atque *Feuerbornii* cum collegis *Winckelmanno* et *Gisenio*, circa omnipraesentiam Christi iuxta carnem, tam vehemens, ut Ludovicus V. Landgr. hos theologos Darmstadtium accesserit, ad pacem restituendam. Inde enatum bellum *Mentzeri* et collegarum cum *Luc. Ofiandro* reliquisque Tubingensibus 1619, naturae Christi divinae $\kappa\epsilon\upsilon\omega\sigma\iota\upsilon$ Giffensibus, $\kappa\epsilon\upsilon\psi\iota\upsilon$ Tubingensibus contendentibus g). Haereseos nominibus atque conviciis invicem decertavere, Lipsienses a parte Giffensium stetero, donec Ludovici L. legatio in aulam Württembergensem atque belli tricennalis calamitates litem sopire iusserunt h).

III. Hen-

St. 1 — 10. *Neubauer* pr. de singulari Giefsensium studio conservandae purioris doctrinae, Hal. 1741. 4. Idem in *Schmersahl* zuverläss. Nachrichten von iüngstverstorbenen Gelehrten St. 3. p. 377. *Strieder* Hefs. Gelehrten u. Schriftstellergeschichte, suis locis. Tomum

XVII. et ultimum propediem evulgabit venerab. *Iusti*.

g) *Mosheim* instit. hist. ecclesiast. p. m. 951. S. R. *Plank* allg. Gesch. der christlichen Kirche, edit. IV. t. III. p. 380.

h) Saepe pro nomine subscripto usus

A

III. *Henricus Eckhardi*, Wettera, tot eruditorum foecunda matre, oriundus 19 Oct. 1582, Marburgi, praeceptore praesertim Mentzero, informatus, 1601 parochi Wildungenfis, 1602 concionatoris aulici Farnrodae Kirchbergenfium, 1603 parochi Singenae Schwarzburgenfium, munera gellit. Inde 1608 Giessam vocabatur prof. theol. tertii munere ornatus. Sed 1610 abiit Francohusam Thuringorum superintendens, 1616 superint. generalis Altenburgum migravit, phthifi exspiravit 22 Febr. 1624.

IV. *Christophorus Helvicus* i), Sprenglingenfis, qui 1605 graecae et hebraeae linguae professor constitutus erat, 1610 in locum Eckhardi fuffectus est. Vir, doctis praecocibus adnumerandus, ingenio felicissimo et rarissimo eruditionis ambitu praeditus erat simulque pacis ubique amans. Febre hectica occubuit 10 Sept. 1617, annum 37 agens k)

V. *Caspar Finck*, Giessensis, Marburgi, patrono praesertim *Herm. Kirchnero*, eruditus, aliquanto correctorem typographicum egit. Logici et metaphysici munia 1607 obtinuit. A. 1610 theologi quarti partes nactus, simulque ecclesiae, laudabilem academiae praestitit operam. Sumtibus Ludovici V. Landgr. doctoris in theologia gradum consecutus est. A. 1616 Coburgum vocatus superintendentis generalis, scholarchae et gymnasii Casimiriani professoris munera suscepit l).

VI. Ie-

est Mentzerus symbolo τ' ἀνώτερα καλλίω.

i) De hoc et reliquis, qui antea ordini philosophorum nomina dederant, conf. *Nebel* pr. professorum ord. philos. in acad. Giessensi conspectum exhibens. 1804. Quae

ibi dicta sunt, hic non repetamus. k) Praeter fontes a *Striedero* t. V. citatos conferri meretur *Spizelius*, templum honoris reseratum p. 46. l) Godofr. *Ludovici* pr. Memor. Io. Eichhorn, Iosuae Maii, et Casp. Finckii. Cob. 1721. 4.

VI. *Ioannes Gisenius* Dieffena-Osnabrugensis, nat. 1577, Vi-
tembergae, ubi literis imbutus erat, lectionibus privatis vacavit.
Postquam ab a. 1610 Lemgoviae rectoris scholae personam gesse-
rat, a. 1616, ut *Finckii* locum suppleret, Giessam vocatus adve-
nit. Hic discordiae circa dogmata immixtus Argentoratum abiit
1619, Rinteliam 1621: ibi academiae recens conditae primus theo-
logus erat. Vir suis meritis non defraudandus belli tricennalis ca-
lamitatibus misere vexatus, a monachis quoque, praesertim Bene-
dictinis, restitutionis edictum sequentibus, vellicatus est. Dimis-
sus ex academia Schaumburgensi abiit in monasterium Loccumen-
sem 1652, inde Lemgoviam 1655, ubi octogenario maior diem obiit
supremum 6 Mai 1658.

VII. *Iustus Feuerborn*, Hervordia-Westphalus, prognatus
13 Nov. 1587, Giessae theologiae studio absoluto eodem die 1616
theol. doctor renunciatus, prof. extra ordinem declaratus simul-
que *B. Mentzeri* filiae natu maximae matrimonio iunctus est.
Supervenerunt ordinaria professio, ecclesiae officium, nec non
ephorum stipendiatorum munus 1618. In academia Marburgensi
cum Giessensi iuncta post fata *Mentzeri* locum primum accepit. A.
1628 a Georgio II. L. ecclesiarum atque scholarum ex parte deso-
latarum visitatio universa ipsi demandabatur. Giessae in restaurata
academia denuo theologi primi locum cepit, addita rectoris magnif.
dignitate. Dioecesis Marburgensis superintendens nunc primum
constituebatur m). Fatis cessit vir magni nominis, praesertim theo-
logia polemica clarus, 6 Febr. 1656.

VIII.

m) Dioecesis illa conventibus Blan-
kensteinensi, Königsbergensi, Bie-
dencopfiensi, Battenbergensi atque
Voehlensi constat, qui, quamdiu pro-

4. VIII. *Ioannes Steuber*, natus Schwicardshufae Hassorum 16 Ian. 1590, magister 1610 renunciatus, prof. physices 1614 constitutus, a. 1620 theologiam, nec non hebraeam linguam, docere coepit. Idem munus Marburgi, cum 1625 academia illuc transferretur, gessit addito ecclesiae ad S. Elifabetham officio. Vir eruditione et probitate nemini secundus apoplexia sublatus est 5 Febr. 1643.

9^a x

IX. *Meno Hannekenius*, natus Blexae, Frisiae orientalis vico, 1 Mart. 1595, Giessae, praeunte praesertim Mentzero, quem postea focerum habuit, studia coluit, atque magistri gradum acquisivit 1619. Eodem anno scholae Oldenburgensis conrector constituebatur. Bienio post huic muneri valedixit, et in acad. Vitembergensi atque Argentoratensi non sine gloria versatus est. A. 1625 prof. moralium Marburgum vocatus advenit, 1627 post fata Mentzeri, prof. theol. designatus simulque symmystes factus est. Amore novae patriae ductus plures ad externos vocationes recusavit pro fide incorrupta servanda strenuus, sed non acerbus, litigator. Tandem, cum Hassia belli aerumnis paene opprimeretur, Lubecam abiit, ubi Nic. Hunnium praeceptorem in superintendentis officio excepit. Letum expertus 17 Octob. 1671 n).

5^a 4^b

X. *Io. Henr. Tonsor*, Alsfeldiae 14 Mart. 1595 genitus, ab a. 1620 physicam Giessae, 1625 Marburgi docuit. Theologus constitutus est 1632, doctor 1635 creatus. Giessam redux, ubi academiae restauratae solemnia parabantur, morte interceptus est 1 Dec. 1649.

XI.

vincia Marburgensis ditionis Darmstadinae erat, superintendentis Marburgensis inspectioni erant subiecti.

n) *Tiaden* gelehtes Ostfriesland III. p. 19.

XI. *Petrus Haberkorn*, Butisbaci 13 Maii 1604 genitus, Feuerbornii gener, et in litibus pro fide socius fidelis, erat. A. 1632 physices professionem Marburgi nanciscebatur, 1633 doct. theol. dignitatem, nec non concionatoris in aula Georgii II. Giessae munus. Superintendentis provinciam 1643 obtinuit. Accessit theologi secundi et, post Feuerbornii fata, primi officium. Colloquium circa varia fidei christianae capita, auctore Ernesto Landgr. Rheinfelsensi, cum Valeriano Magno aliisque monachis Capucinis instituit 1651: cum Io. Rosenthal soc. Iesu Giessae 1653 coram eodem Landgravio. Extinctus 5 April 1676. Gloriam eius argumentum esse potest, quod Valentin. *Alberti* Lipsiae ipsi orationem parentalem habuerit, Abr. *Calovius* Vitembergae lessum Haberkornianum conscripserit, *Fechtius* memoriam eius commentatus sit.

XII. *Balthasar Mentzer* II, Balth. fil. natales Giessae habuit 11 Maii 1614. Theologiae professor extra ordinem adscitus est 1640, ethica professione addita 1641. Rintelium abiit 1646, ut *Gissenium* senem in officio iuaret. A. 1657 in acad. Giessensem revocatus theol. et hebraeae linguae professionem suscepit. Sed anno nondum exacto Darmstadium iussu Georgii II. L. migrare iussus est, concionatoris aulici supremi atque superintendentis munere ornatus et a *Feuerbornio* ibidem inauguratus. Candore, dexteritate atque doctrina vir omnibus aestimatus in partes Libitinae venit 28 Iul. 1679 o).

XIII.

o) Filius *Balth. Mentzer* III. Giessae, tum Hamburgi mathematicum professor erat. Conf. infra XVI. Nepos *Balth. Mentzer* IV. super-

intendentis generalis munus Hannoverae gessit, denatus 1741. Conf. Acta hist. ecclesiast. vol. VII. p. 599.

1
7^a XIII. *Io. Nicolaus Misler*, natus Münzenbergae 1614, antea paedagogii Marburgensis praeceptor nec non ecclesiae archidiaconus, ad paedagogium Giessense adveniebat 1650 indeque ad theologiae nec non hebr. linguae cathedram vocabatur 1652. Doctoris gradum sibi paravit 1654, locum in ord. theol. primum obtinuit 1676, vivendi finem fecit 20 Febr. 1683.

8 XIV. *David Christiani*, Greifenberga Pomeranorum oriundus 25 Dec. 1610, 1642 prof. matheos nominatus et 1650 Giesfam translatus est, ad quod theol. professio extra ordinem accessit. A. 1659 S. Goariam vocabatur ad superintendentis munus suscipiendum. Hic quum a Carolo Landgr. dimissus esset, denuo Giesfam traducebatur et munus prof. theol. tertii obiit. A. 1686 per breve tempus a munere removebatur, quod in diss. de reprobo syncretismo super doctrina evangelica in terris Brandenburgensibus oppressa liberius iudicium tulerat. Annorum 78 senex animam edidit 13 Febr. 1688.

9 XV. *Michael. Siricius Lubeca* 2 Dec. 1628 ortus, in academiis Helmstadiensi, Lipsiensi, Vitembergensi, Giessensi informatus hic remansit et e discipulorum ad docentium partes transit. Theol. prof. extraord. 1657, hist. ecclesiasticae ordinarius 1658, theol. ordinarius 1659 nominabatur; simulque ecclesiae munus obibat. Ab Adolpho duce Megapolitano Gustavoviae vocatus, ut concionatoris aulici partes susciperet, sequutus est 1670. Ad beatorum sedes transit 24 Aug. 1685.

10 XVI. *Phil. Ludov. Hanneken*, patre Menone (IX) editus est Marburgi 5 Ian. 1637. A. 1663 oratoris in academia partes ipsi demanda-

mandabantur, quibus hebraei accefferunt. Theologis extra ordinem adscriptus 1667, atque 1670, Siricio discedente, theologus tertius nominatus est. Superintendentis officium supervenit 1676, atque 1683 ad primum locum, nec non superintendentis et pastoris Giessensis munia, ascendit. Incidit in haec tempora (1689) lis illa inter pietismum et orthodoxiam. Huic favit *Hannekenius*, illi *Maius* collega, qui ad mentem Speneri collegium biblicum et pietatis instituit, ut fidei et cultus laxitati opitularetur. E pulpitis istis controversia agitabatur, zelus et odium, non solum apud studiosos, sed apud plebem quoque cernebantur. Ideo advenerunt legati principis, quibus reconciliatio erat commissa. Facta illa 18 Febr. 1693, sed pax inde non profecta est. Inde pertaesus *Hannekenius* in academiam Vitembergensem abiit 1693. Ultimum necessitatis fatum expertus 16 Ian. 1706. Recruduit autem lis, immo haereseos inculpatio, donec ex mandato Principis d. d. 25 April 1695, accedente programmate academico, pax restituta est. Sed professores philosophiae *Balth. Mentzer III.* et *Schlosser* exauctorati, *Phasianus IV*, *Gr. Nitzsch III* menses ab officio remoti sunt, quia et errorum a facultate theologica accusati, et erga edictum Principis immorigeri erant p).

XVII. *Kilianus Rudrauff*, Schottae 17 Jul. 1627 natus, 1659 ethici, 1661 logici, primae et organicae philosophiae professionem vocant

p) A. 1710 nova eaque ultima lis in hac re exorta est, cum ordo theologorum Rostochiensis Giessensem in causa pietistica Waldeccensi tanquam pietismi patronum reprehendisset.

disset. Conf. Ehrenrettung der theol. Facultät zu Giessen etc. De controversia pietistica conf. *Schroeckh* christl. Kirchengeschichte seit der Reformation VIII. p. 258.

cabant, munus obtinuit. Theologis adscriptus 1675 Alsfeldienſem dioceſin *Haberkornii* morte vacuam obtinuit ſimulque, poſt fata *Misleri*, Marburgenſem. Paedagogiarcliae quoque et ephori ſi-
pendiatorum vices geſſit. Vir philoſophis ſuo aevo praefantiffimis adnumerandus ad coelites abiit 15 Sept. 1690.

10. 12.

XVIII. *David Clodius* nat. Hamburgi 14 Mai 1644, Kilonii atque Giellae literis imbutus, in linguis orientalibus *Edzardi* inſtitutione uſus huc vocabatur ad linguarum orientalium profeſſio-
nem 1671. Accessit theol. extra ordinem profeſſio 1676, doctoris gradus 1678, atque concionatoris vespertini munus 1684. Fato praemature ablatus vir linguarum orientalium cognitione principi-
bus adnumerandus 10. Sept. 1687.

XIX. *Abraham Hinckelmann* q), Doebeliae in Miſnicis 2 Maii 1652 natus, eccl. ſ. Nicolai apud Hamburgenes paſtor conſtitutus, 1687 Darmſtadium vocabatur, ad Superintendentis, concionatoris aulici ſupremi atque prof. theol. honorarii munera ſuſcipienda. Apud nos per intervalla moratus eſt. Rediit Hamburgum 1689 paſtor ad aedem S. Catharinae vocatus: ibi pietifmi et chiliafmi con-
troverſiſ miſere vexatus animam eſſlavit 11 Febr. 1695. Vir ſcrip-
tis compluribus praefertim alcorani editione clarus.

175

XX. *Io. Henric. Maius*, natus Pforzhemii 5 Febr. 1653, Io. Fechtii Rostochienſis, Abr. Calovii Vitembergenſis, Efr. Edzardi Hamburgenſis, Sebaſt. Schmidii Argentinenſis diſcipulus erat atque Iobi

q) Io. Wincklerum theologis Giessen- S. R. Plank Geſch. der chriſtlichen ſibus adnumeratum eſſe legitur in Kirche, IV. p. m. 525, ſed falſo.

Iobi Ludolphi, historiae atque grammaticae Aethiopicae scriptoris, adiutor. Vocatus 1689 Durlaco Giefsam appulit, ubi *Clodii* mortē locum vacantem explevit. Ergo linguarum orientalium professoris atque theologi tertii munus adiit, mox secundi, *Rudrauffio* factis functo, cepit, quem in ephori stipendiatorum, paedagogiarchae atque dioecesis Marburgensis et Alsfeldiensis, nec non consilii sacri adfessoris, muneribus secutus est. Tot muneribus onustus summo candore, studio indefesso atque fidelitate inconcussa gloriam academiae, tot eruditorum luminibus tunc fulgentis, auxit, donec 3 Sept. 1719 ex hac vita migravit. Notus scriptis doctis, praesertim, oeconomia temporum V. T. et N. T. Filius nominis atque virtutis paternae haeres in philologia sacra atque profana claruit. r).

XXI. *Henric. Phasianus*, natus Quebornae Hassorum 8 Oct. 1633, a. 1667. historiam atque oratoriam profiteri coepit, simul ordinis theol. extra ordinem confors 1689, adiecto ecclesiae munere. Quamvis rude donatus 1695, ut supra (XVI.) dictum est, ad Marburgenses tamen abitum parabat, ut Superintendentis munia obiret. Sed mors praevenit 11 Febr. 1697.

XXII.

r) Aliquot viri, theologis quidem non adscripti, sed in historia ecclesiastica celebres, his temporibus Giessae versantes, hic sunt memorandi.

Godofr. Arnold, theologiae mysticae cultor, operis Kirchen- und Ketzerhistorie auctor: ord. philosph. professor.

Io. Wilh. Petersen, theologiae fanatica atque chiliasmo notus, magister constitutus erat atque lectionibus privatis vacaverat.

Io. Conr. Dippel, vulgo Christianus Democritus, theologus atque medicus, sui seculi Paracelsus, cui, si vita non incomposita fuisset, locus theologiae atque philosophiae prof. non detrectatus esset.

a XXII. *Io. Christoph. Bielenfeld*, natus Wernigerodae 25 Dec. 1664, patri, Superintendenti Delitschiae Mersenburgenfium, in officio adiunctus doctoris theol. honores Kilonii sibi paraverat 1690. Studio multifario et magnis peregrinationibus praeclare informatus Ernesto Ludovico L. ita placuit, ut ad concionatoris aulici supremi atque Superintendentis locum, Hinckelmanni abitu vacuum, ipsum vocaret. Ineunte a. 1693 una cum administro status intimo a *Sche-ress* huc mittebatur, ut dissidium inter *Hannekenium* atque *Maium* componeret. Cum ille mox Vitembergam abiret, locum in ord. theol. primum occupavit *Bielenfeldius*. Concionatoris aulici supremi honos, quo post aliquot annos se abdicabat, consilarii ecclesiastici supremi titulo refarciebatur. Sequutum est directoris consilii sacri officium. Sacris praefuit tanquam primus in Hassia episcopus s) usque ad 11 Iun. 1726, qua diem obiit.

o XXIII. *Io. Ernest. Gerhard*, patre atque avo claris theologis ortus, Ienae 19 Febr. 1662 in lucem editus est. Ibi postquam lectiones privatas instituerat, Gotham ad ecclesiarum atque scholarum inspectionem vocabatur. A. 1698 Giessam appulit et locum in ord. theol. tertium cepit, quem fidus tenuit usque ad 18 Mart. 1707, quae vitae fatalis fuit.

13 XXIV. *Io. Bartholom. Rüdiger*, Grunberga Hassorum 10 Oct. 1660 ortus, praeceptoris paedagogii atque stipendiatorum maioris munus obtinebat 1683. A. 1691 Wezlariam migrabat, ubi pastor eccle-

s) Cum aliquando inter procancellarium academiae *Ludovici*, procancellarium curiae *Franz*, nec

non *Bielenfeldium* quaestio circa praegressum exorta esset, huic concedebatur ex mandato Principis.

ecclesiae secundus erat. A. 1697 Giessam redux logicae et metaphysicae professionem obtinebat. *Gerhardo* in loco theologi tertii successit, 1720 in secundum, 1727 in primum adscendit. Conditione mortalitatis obiit 3 Jul. 1729.

XXV. *Christoph. Ludov. Schwarzenau*, Alsfeldiae 4 Jun. 1647 prognatus, a. 1673 pastor Voehlenfis atque metropolitanus Itteranus, nec non Georgii Medii L. ibidem concionator aulicus constituebatur. Malevolorum persecutione pulsus Marburgum se recepit ibique lectiones privatas habuit ab a. 1695. A. 1715 ad locum prof. theol. quarti Giessam vocabatur, in quo officio mortalitatis legem explebat 10 Dec. 1724.

XXVI. *Io. Godofr. Schupart*. natus Heinsheimii Francorum 22 Oct. 1677, Heilbronna, ubi pastoris et scholarchae personam gesserat, huc vocabatur 1721. D. 8 Maii locum in ordine tertium adiit, in primum evectus 1729. Paulo post, cum ad thermas Sualbacenses invisisset, apoplexia inopinata interemptus est 3 Aug. 1730 et primus exemplo docuit, rectores nostros esse mortales. Notandum de viro gravi et multis amato, quod primus apud nos prof. theol. fuerit, qui doctoris gradu condecoratus non erat. Id quoque monendum, his temporibus primum tres fuisse superintendentes, cum *Bielenfeldio* Giessensis, *Rüdingero* Marburgensis, *Schuparto* Alsfeldiensis, dioeceses essent demandatae. Dioecesis Giessensis addebatur *Schuparto* post fata *Rüdigeri*.

XXVII. *Io. Georg. Liebknecht* Wafungensis, natus 23 April. 1679, Ienae studia exegerat atque magistri legentis vicēs gesserat. Inde 1707 Giessam vocatus mathematici partes suscepit. A. 1721 theo-

theologiae professio extra ordinem, 1725 ordinaria adiungebatur. Oratione adituali felicem matheos cum theologia nexum ostendebat. Superintendentis dioec. Marburgensis dignitatem obtinebat 1729. Mathematici munia, quae vir solers exornabat, non nisi 1737 depo-
nebat. D. 17 Sept. 1749 vitae supremus erat.

15^c X
o XXVIII. *Io. Conrad. Arnoldi*, qui Trarbacum patriam habuit 1 Nov. 1658, Darmstadio, ubi paedagogii rector erat, vocabatur ad logicam et metaphysicam docendam 1717. In ordinem theologorum transferebatur 1729, in quo officio diem obiit 22 Mart. 1735, 77 annorum senex.

17
— XXIX. *Reinhard. Henric. Rolle*, natus Unnae in Marcanis 25 Nov. 1683, postquam Rostochii magistri legentis personam gesserat, dein 1709 Unnae rectoris, 1712 Tremoniae in archigymnasio prorectoris, tum prof. theologiae atque directoris, munus obierat, 1730 Giessam vocabatur, ad prof. theol. tertii atque superintendentis Alsfeldiensis munus suscipiendum. Post *Rambachii* fata ad secundum, atque *Liebknechtii* ad primum, ascendit, addita 1753 dioecesi Marburgensi. Senio confectus spiritum reddidit 2 Oct. 1768.

20
— XXX. *Io. Iac. Rambach*, cui Hala Saxonum 24 Febr. 1693 vitam dederat. Hic tantam sui existimationem fecerat, ut *A. H. Franckii* iacturam in theol. professione atque orphanotrophei inspectione ipso refarcire decretum sit. Saepius ab exteris tentatus tandem prof. atque superintendentis primi locum apud nos assumpsit. Appulit 1731 et amore Hassiae ductus locum theologi primi in academia Goettingensi recens condita a *Münchhusio* oblatum detrectavit.

vit. Sed febre acuta exanimatus 19 April. 1735 omnibus bonis plangentibus t).

XXXI. *Io. Ernest. Neubauer*, cui Magdeburgum patria contigit 31 Jul. 1705, Halae eruditus et inter magistros legentes relatus est. *A. Rambachio* commendatus ad nos advenit ut *Maii* fil. locum suppleret; adiitque 30 Oct. 1732 orientalium et graecae linguarum, nec non antiquitatum professionem. Prof. theol. extra ordinem locum nactus 5 Ian. 1736, ordinarium, nec non ephori provinciam, 16 Nov. 1742. Apoplexia decessit 15 Mart. 1748 u).

XXXII. *Io. Hermann. Benner*, qui Gießae primam lucem adspexerat 15 Dec. 1699, poëseos et eloquentiae professor nec non paedagogiarcha constitutus, theologi extra ordinem locum obtinuit 1736. Theologis ordinario loco adscriptus et *Neubauero* antepositus est 1740, simul 1742 superintendentis primi officium vicario nomine gessit, proprio 1753. Vir ingenii acumine, solida doctrina et pro fide intemerata sustendanda fervore de academia patria optime merens eamque fere L. annos exornans languore virium obiit 8 Jul. 1782 v).

XXXIII.

t) Conf. *Lesser* besondere Münzen auf Gelehrte. Frf. et Leipz. 1739. p. 785. In numismate in eius honorem cuso huius aevi Chrysostomus appellatur.

u) Ipse vitam descripsit in *Goetten* ietztleb. gel. Europa II. p. 576. *Schmersahl* zuverläss. Nachr. von

ii) iüngstverstorb. Gelehrten St. 3. p. 377. Hess. Hehopfer St. 20. p. 932.

v) De viri huius animi indole, vita et meritis egit *Schulz*, gener, Hess. Darmst. Addi. Kal. 1783 p. 249. Solus ille suo aevo in Hassia consiliarii ecclesiastici titulo condecoratus erat.

XXXIII. *Henricus Daniel Müller*, Buchenaviae, praefecturae Biedenkopfiensis vico, natus 24 Sept. 1712, pastor Giessensis 1743 simul lectionibus privatis operam dedit. Theologis extra ordinem admotus 1748. Biennio post hanc provinciam reliquit Echzellam abiens, ubi eccl. inspectoris munus 47 annos gessit. Demum 22 Mart. 1797, 85 annum agens, rebus humanis valedixit.

XXXIV. *Io. Godofred. Zentgrav*, Argentorato ortus 1 Oct. 1722, inde ad poëseos et eloquentiae cathedram vocabatur 1753. Addebatur concionatoris vespertini (antea ecclesiae, priscis vero temporibus primissarii dicti) locus atque theologica extra ordinem professio. Fatis functus 24 Mart. 1762.

XXXV. *Christoph. Matthaeus Pfaff*, Tubingae 25 Dec. 1686 natus, ibidem theologus et literator per orbem terrarum notus erat. Per multos annos theologi primi, academiae cancellarii, ecclesiae praepositi atque abbatis Laureacensis munera gesserat. A Ludovico VIII. Landgr. ad theologi primi, superintendentis generalis atque academiae cancellarii munera obeunda vocabatur illaque adibat 28 Maii 1756. Quem vero virum sirenum atque cordatum Tubinga habuerat, senii imbecillitate tentatum habuit Giessa. Mortuus 19 Nov. 1760. Scriptorum magnam seriem evulgavit, e quibus origines iuris ecclesiastici, institutiones theologiae dogmaticae et moralis (quibus paulo liberiozem et a metaphysicis subtilitatibus alienum se ostendit), alloquium irenicum ad Protestantcs, praecipue sunt memoranda.

XXXVI. *Io. Stephan. Müller*, natus Schmalabuchiae principatus Schwarzburgensis vico 20 Iul. 1730. Iena, ubi prof. philosophiae

sophiae extra ordinem locum habuerat atque theol. licentiati, nec non consistorii Rudolstadtensis assessoris, honores sibi paraverat, Giessam vocatus 26 Maii 1763 prof. theol. tertii atque concionatoris vespertini munia adiit. Ad locum secundum atque dioec. Marburgensis curam adscendit post fata *Rollii*, sed in paucas septimanas, nam phthisis vitae filum abruptit 24 Oct. 1768, eodem anno quo Rectoris magnifici munia gesserat.

1 Oct. 1753. s vero ordinem c. 1686 as erat, clesiae dōvico gene- illaque datum Mor- e qui- naticae atibus recipue

XXXVII. *Io. Georg. Bechtold*, qui incunabula habuit Darmstadii 27 Iul. 1732, succedente tempore munia gessit stipendiatorum maioris 1755, ephori 1760, prof. philos. extraord. 1759, ordinarii supernumerarii 1762, poëseos et eloquentiae eodem, theologiae prof. ordinarii 1765, Alsfeldiensis territorii superintendentis 1768, Marburgensis 1771, theologi atque superintendentis primi 1786. Ad aedem arcis pastor secundus factus 1760, primus 1763, quod munus 1771 deposuit. Pro gradu magistri 1755, doctoris theol. 1765, disputavit: societati Germanicae tum conditae director constitutus 1764, desit autem post aliquot annos societas ista. Supremum vitae terminum attigit 16 Oct. 1805.

XXXVIII. *Io. Georg. Hoffmann*, Windshemiam Franconum patriam nactus erat, Oct. 1724. Erlanga, ubi prof. phil. extra ordinem fuerat, huc vocabatur, ut linguas orientales doceret. Theol. doctoris gradum publica disputatione acquisivit 1765, addita theologica extra ordinem professione. Ad Altorfinos vocatus, ut in ordine theologorum locum fusciperet, secutus est 1767. Hic mortalitatis fatum expertus est 10 Maii 1772 w).

XXXIX.

w) Cf. *Will's* Nürnb. Gel. Lex. fortges. von Noritsch. II. supplem.

Band p. 114.

XXXIX. *Carolus Fridericus Bahrdt*, qui incunabula habuerat Bischofswerdae Misnienſium 28 Aug. 1740, prof. philof. extra ordinem locum Lipſiae obtinuerat 1767, Lipſia relicta Erfordii prof. phil. ord., vel potius hiftoriae eccleſiaſticae, munus confeſtus eſt. Inde Giellam vocabatur, ad prof. theol. quarti atque concionatoris vespertini munus obeundum, quod adiit 16 Maii 1771. Poſt complures motus atque inquietudines dimittebatur 1 April. 1775. Varios caſus et discrimina perpeſſus huius mundi ſcenam reliquit Halae 23 April. 1792, vir oratorum ſuo aevo princeps, qui egregiis animi dotibus ſplendorem academiae conciliare poterat, ſed effraenata licentia in vita, ſcriptis atque lectionibus minuit x).

XL. *Ludovicus Benjamin Ouvrier*, natus Prenzlaviae in Marchicis 7 Maii 1735, Halae poſtquam theologico ſtudio ſe addixerat, Darmſtadium vocabatur 1760, ut principum iuventutis, ſereniſſ. Ludovici IX. liberorum, institutionem fuſciperet. Simul concionator aulicus factus 1763. Giellam transferebatur, ubi prof. theol. tertii, dioec. Alſfeldienſis Superintendentis atque ad aedem arcis paſtoris munera adiit, habita de odio theologico oratione 9 April. 1772. Pro gradu doctoris rite diſputavit 1777. Ad locum in ordine ſecundum atque dioeceſin Marburgenſem admotus 1786. Denatus 1 Oct. 1792.

XLI. *Io. Chriſtian. Dietz*, natus Bingenhemii 1 Nov. 1719, paedagogii praeceptor factus eſt 1745, ad aedem arcis diaconus 1754, eccl.

x) *Iuncker* etwas über die Weinbergskrankheit des verſtorbenen D. Bahrdts. Hal. 1792. 8. Ipſe vitam deſcripſit, Geſchichte ſeines Le-

bens. Berl. 1790 ſq. 4 t. 8. Alia vitae narratio eodem anno prodiit, *Pott* Leben, Meynungen u. Schickſale D. Bahrdts. Lips.

eccl. urbis ad S. Pancratium diaconus 1761, pastor atque definitor 1764. y), simul prof. theol. extra ordinem honore mactatus est. Adiit munus 9 Oct. 1771. Animum deo reddidit 22 Febr. 1784.

XLII. *Io. Georg. Gottlob Schwarz*, natus Grebenaviae 5 Febr. 1734, a. 1763 ad nos vocatus pastoris ad aedes urbis atque arcis secundi locum suscepit 1763. simul prof. theol. extra ordinem munus 10 Oct. 1771, nec non definitoris, adiit. Ab academia dimissus 1773 Grünbergam migravit atque pastoris munia obiit. A. 1777 Alsfeldensi ecclesiae inspector praepositus est. Hic vivendi finem invenit 4 Mart. 1788 z).

XLIII. *Io. Christoph. Frid. Schulz*, cui vitam dederat Werthemium 18 Maii 1747, Göttingae magistri legentis, repetentem vocant, personam gesserat. Ad nos vocatus, ut orientales et graecam linguam doceret, adiit munus 1771. Mox professio extra ordinem theologica addebatur, ordinaria 1783. Locum tertium adiit 1786 deposita linguarum sacrarum professione. Coniungebantur Superintendententis dioec. Alsfeld. atque ad arcem pastoris primi munera. Locum secundum atque dioecesin Marburgensem naetus est 1793. Vir, cuius ingenium felicissimum, facundiam atque doctrinam in vivo admirati sumus, insultu apoplectico tactus naturae debitum persolvit 26 Ian.

y) Consistorii sacri, hodie consilii ecclesiastici atque scholastici, *superintendentes* membra sunt. *Definitores* autem, quorum est definire, quatenus candidati digni sint, non solum professores theo-

logiae, sed subinde quoque alii viri docti, nominantur.

z) Vitam descripsit filius S. R. *Schwarz*, hodie acad. Heidelbergensis decus, apud Strieder Hess. Gel. Gesch. XIV. p. 132.

26 Ian. 1806. Alter hic ex ordine theologorum, qui doctoris gradu non condecoratus erat. aa)

XLIV. *Io. Michael Lobstein*, Lamperthemii Alfatorum mense Maio 1740 in lucem editus, Argentorati literis imbutus est atque praeconis Gallici vices gessit. bb) Cum Pirmasentiam inde saepius invississet, et Ludovico IX. Landgr. vir laudaretur, theologi quarti provincia, *Bahrtdii* abitu vacua, ipsi est credita. Iuncta sunt confessorii adfessoris, definitoris atque concionatoris vespertini munia: adiit ea 4 Sept. 1775. Pro gradu doctoris publice disputavit 27 Febr. 1777. sed eodem anno Butisbacum ad inspectoris atque ecclesiae pastoris munus abire iussus est. A. 1790 valedixit Butisbaco Argentoratum migrans, ubi pastor novi templi nominatus erat. Hic turbulento rerum in Gallia statu morbo acuto letali correptus est 29 Iun. 1794.

XLV. *Io. Georg. Rosenmüller* Ummerstadii in Hilperhusanis 18. Dec. 1736 prognatus cc) et Norimbergae et Altorfii literis imbutus

aa) Cum *Bechtold* aequae *Schulz* parvo temporis intervallo mortui essent, superintendentis primi atque pastoris supremi munus demandatum est viro S. R. *Iusto Balth. Müller*, quod a condita academia cum prof. theol. primi officio semper coniunctum erat. Dioecesis Marburgensis, quam deposuerat S. R. et

perill. *Schmidt*, tradita est S. R. *Busfio* pastori urbis et arcis primo. bb) *Io. Frid. Lobstein*, med. professorem insignem, fratrem habuit, et hodie *Io. Frid.* filius scriptis medicis clarus Argentorati superstes est.

cc) Ipse vir post fata venerandus vitam descripsit in *Seileri* pr. *Christolo-*

butus est. Quo facto Hesbergenfis, dein Koenigsbergenfis in Franconia, eccl. pastoris munus accepit. Inde Erlangam ad munus prof. theol. quarti vocabatur 1773. Giessae theologi atque superintendentis primi, pastoris supremi, nec non paedagogiarcae munera morte *Benneri* vacua, ipso sunt suppleta: adiit 27 Mart. 1783. Reliquit vero Giessam vocatus Lipsiam, auctumno 1785. Mortis vadimonium obiit 14 Mart. 1815.

Sequantur in ordine viri venerabiles hodie superstites, de ecclesia et orbe erudito optime meriti. Nomina subiiciamus, vitas vero et merita summorum virorum adumbrare seriori aevo relinquamus.

XLVI. *Io. Ernest. Christian. Schmidt*, theologiae D. et professor primarius, consiliarius in sacris intimus, collegio legislatorio, nec non consilio ecclesiastico atque scholastico adscriptus, historiographus Hassiacus, seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus, nec non ordine Hassiaco, meritorum vocant, insignitus.

XLVII. *Carolus Christianus Palmer*, theol. D. et prof. ord. dioecesis Alsfeldiensis superintendens, consilio ecclesiastico atque scholastico adscriptus, nec non concionator matutinus.

XLVIII. *Christianus Gottlieb Kuinoel*, theol. D. et p. p. o. in rebus ecclesiasticis a consiliis sanctioribus.

XLIX.

stologia Tatiani Athenagorae, diss. inaug. praefixa 1775. In Autobiographien Leipziger Gelehrten, con-

tineatur in Beschr. der Univ. Jubelfeierlichkeiten, 1810.

XLIX. *Ludov. Adam Dieffenbach*, theol. D. et p. p. o. ad
aedes urbis atque arcis pastor.

L. *Fridericus Carolus Rumpf*, philof. D. eloquentiae et poë-
seos professor, stipendiatorum ephorus, nec non paedagogiarcha fe-
cundus, hic nobis nominandus, quia a. 1806 theologiae extra ordi-
nem professio ipsi demandata erat.

Sed alia adhuc est causa, ex qua virum ultimo loco narratum
excellentissimum atque amplissimum

FRIDERICUM CAROLUM RUMPF
commemorare nostrum est. Decreta sunt illi, ex senatus academici
consulto, Rectoris Magnifici fasces atque insignia. Quod ut rite et
auspicato fiat, ad panegyricum crastina die h. l. q. c. habendam, pa-
tres academiae conscriptos, cives academicos et, quotquot litera-
rum studiis bene favent, verbis honorificis invitamus.


P. P. Giessae, d. XXVIII. Sept. MDCCCXVIII.


p. o. ad


e et poë-
archa fe-
tra ordi-

arratum

academici
ut rite et
dam, pa-
ot litera-







ACADEMIAE LUDOVICIANAE

RECTOR

SOLENNIA

Colour & Grey Control Chart


Danes Picta



PRAEMITTITUR.

PROFESSORUM THEOL. GIESSENS. SERIES.

unv.



GIESSAE

TYPIS SCHROEDERI ACADEMICIS.